Digitized by Google

THEODVLI
CVM
THEOPISTO
DE PVRGATORIO
CONGRESSIO ALTERA.

Piorum animæ mortuorum non ſeparantur ab Eccleſia, quæ etiam nunc eſt regnum Chriſti: alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione Corporis Chriſti; nec aliquid prodeſſet ad eius in periculis Baptiſmum currere, ne ſine illo finiatur hæc vita: nec ad reconciliationem, ſi forte per pœnitentiam malamve conſcientiam, quiſque ab eodem corpore ſeparatus eſt. Cur enim fiunt iſta? niſi quia fideles, etiam defuncti, membra ſunt eius. Aug. l. 20. cap. 9. de civit.

Habita PARISIIS,

An. Dom. M. DC. LXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

THEODVLI CVM THEOPISTO CONGRESSIO ALTERA DE PVRGATORIO.

THEOPISTVS. Adeſdum THEODVLE, vbinam tamdiu te ſervaſti? Iam ni fallor oblitus es nuperi promiſſi tui.

THEOD. Adſum equidem & memor promiſſi. At amabo per quem ſtetit, ſi jam non exolui: nam & à multis diebus te expecto: putabam potius te mutaſſe ſententiam, nec amplius deſiderare noſtram de Purgatorio diſſertationem.

THEOP. Nequaquam mentem mutavi: ſed vt verum fatear, Sacræ Facultatis ea de re judicium expectare fuit animus, quam frequenter conveniſſe eâ de causâ noveram; quin etiam mihi renunciatum eſt intra paucos dies, tam noſtro vulgari, quàm Romano idiomate, ex eiuſdem Facul-

Digitized by Google

tatis Decreto, libellum proditurum, qui ſanam atque Catholicam Theſis illius explicationem contineret: ne exiſtimaret vulgus imperitum, antiquæ fidei ſuæ tenax, majorem Sorbonæ partem Purgatorium velle expungere, quod & jam dictitabat.

THEOD. Et quid? Neſcis libellum iſtum jam multorum manibus conteri atque circumferri?

THEOP. Certè ignorabam; Quid igitur de eo, imo de tota hac materia cenſes?

THEOD. Libellus Catholicus eſt: ſed, vt communiter de gloſſa Aurelianenſi dicitur, expoſitio textum deſtruit: nam vt abſque fuco & diſſimulatione tibi mentem meam aperiam; Appendix illa ſeptima illius Theſeos, monſtrum eſt ſubtili arte compoſitum, & quaſi muſcipula ad capiendas animas curioſitatis amantes, & incautè aures aperientes ad omnem novitatis pruritum. Sed quo vis eamus, ad liberius colloquendum?

THEOP. Non procul abſunt Cœleſtini, quorum horti continuâ ſerie, partim in olera, partim in fruges ad planiciem diſtributi, longuo ductu extenduntur: ibi aperta ambulantibus ſpatia reperiemus, ſecretioribus noſtris colloquijs apta & commoda: audio inſuper horum in Eccleſiâ plurimas videri, *Auratas Marmorataſque memorias*, vt loquitur Auguſtinus, non ineleganti arte compoſitas; imprimis verò excellentiſſimi Ducis Longevillæi vltimo defuncti, quibus nihil ad artem elegantius, nihil ad dignitatem ſplendidius, nihil ad magnificentiam nobilius, in tota Gallia datur intueri. Inibi primum invocata Spiritus Sancti ope, tùm fuſis ad Deum precibus, pro tot illuſtriſſi-

Digitized by Google

morum defunctorum animis, de ipſorum ſtatu ſecurius, diſputaturi progrediemur vlterius, domum intrabimus & inde in hortos amœniſſimos ſecedemus.

Theod. Siſte quæſo gradum : ſi ſeptimæ appendicis Theſeos iſtius propoſitiones veræ ſunt & Catholicæ ; ad quid vel orationum, ſacrificiorum, eleemoſynarum aut aliorum quorumcumque piorum operum, vel denique jeiuniorum ſuffragia ; vno verbo, vt quid baptiſamur pro mortuis, ſi mortui non reſurgunt? Non reſurgunt inquam, ante diem vltimæ conflagrationis totius vniverſi, ab infortunato illo ſtatu in quo, vel innumeris peccatis venialibus maculati, vel graviſſimis debitis divinæ iuſtitiæ onerati atque conſtricti, defuncti ſunt à Non reſurgunt inquam, ſi ante dictam diem, nullum finem habituræ ſunt, quibus cruciantur pœnæ. Imo quid ſolatij defunctorum animis adferre poſſumus, ſi ſola damni pœna puniuntur, quæ in ſola privatione divinæ viſionis intuitivæ ſita eſt, ſecundum omnes Theologos? privationes autem non ſuſcipere magis & minus docuit Philoſophus, & poſt eum vniverſa, tàm Philoſophorum, quàm Theologorum Schola. Patetque ſatis ipſâmet experientiâ quâ notum eſt omnibus, ex pluribus cęcis v. c. nullum magis aut minus orbum eſſe.

Theopist. Nondum Sacræ ædis limen attigimus, & adverſarios mirum in modum vrges: quid enim ad iſtud argumentum reſpondeant non video. Ingrediamur, & nihilominus oremus pro nobilibus his iuxta ac fidelibus defunctis : nec enim neotericæ huic Theologiæ fidem dedi.

Theod. Præludia ſunt iſta, leveſque velitationes: graviorem cenſuram tota hæc appendix, & ſerius examen

Digitized by Google

poſtulat : ſed præſtat nos interim & intrare & orare, vt ſuaſiſti.

Theop. Dum hæc ſuperba intueor monumenta, ſuſpenſus hæret animus, addubitans plus ne pietatis quàm vanitatis habeant. Satiſque mirari non deſino quomodo hæc in Eccleſiam irrepſerit, imo & inoleverit conſuetudo; vt vſque ad altaris ipſius crepidinem, non tam terra hominum, ſive defunctorum, ſive ſuperſtitum, quàm ſpiritus intumuerit: & cum inibi velint offerri pro ſuperbiæ, & aliorum ſuorum peccatorum demeritis incruentam hoſtiam, mitem & humilem; mirum mihi plane videtur quod tot ſuperbiæ ſuæ argumenta, ære & marmore inſcribi, aut patiantur, aut etiã iubeant; cùm præſertim me legere meminerim apud Euſebium, Conſtantinum magnum, pietate non minus, quàm totius Orbis Imperio & diademate Auguſtiſſimum vltimo ętatis ſuæ anno, Conſtantinopoli Eccleſiã magnifico opere conſtruxiſſe, quam ære texit, in honorem Apoſtolorũ, in ea vt ſepeliretur, eo cõſilio, teſte Euſebio, vt defunctus pręcationum, quæ ibi eſſent ad laudem Apoſtolorum offerendæ, particeps fieret. In atrio autem non intra Baſilicæ muros corpus ſuum condiri iuſſit, quia vt inquit Chriſoſtom. hom. 66. ad pop. Antioch. *Cuius titulus eſt, quod Chriſtus ſit Deus : magnam gratiam ſibi conceſſam exiſtimabant Cæſares ſi non prope Apoſtolos, ſed extra eorum veſtibula ſepelirentur, fierentque piſcatorum oſtiarij Reges.* Deus bone, quàm mutata tempora! quantum ab illa ſingulari & eximia pietate defecimus! vix iam miniſtris altaris ſacris functionibus obeundis, locus conceditur.

Theodvl. Hac de re fuſius diſputat Aug. lib. 1. de civit.

cap. 12. quæ lib. de cura pro mortuis gerenda repetit. *Illa omnia*, inquit, *curatio funeris, conditio ſepulturæ, pompa exequiarum, magis vivorum ſolatia ſunt, quam ſubſidia mortuorum. Si aliquid prodeſt impio ſepultura pretioſa, oberit pio vilis aut nulla? præclaras exequias in conſpectu hominum purpurato diviti turba exhibuit famulorũ, ſed multò clariores in conſpectu Domini ulceroſo illi pauperi miniſterium præbuit Angelorum, qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, ſed in Abrahæ ſinum ſuſtulerunt.* Paucis autem interjectis ſubjicit: *nec ideo tamen contemnenda & abjicienda ſunt corpora defunctorum, maximéque iuſtorum ac fidelium, quibus tanquam organis ac vaſis ad omnia bona opera vſus eſt Spiritus Sanctus: vnde & antiquorum iuſtorum funera, officioſa pietate curata ſunt, & exequiæ celebratæ, & ſepultura proviſa: ipſique cum viverent de ſepeliendis vel etiam transferendis ſuis corporibus filijs mandaverunt.* Cap. vero 4. hæc habet; *profectò proviſus ſepeliendis corporibus apud memoriam Sanctorum locus, bonæ affectionis humanæ eſt erga funera ſuorum: quoniam ſi nonnulla Religio eſt, vt ſepeliantur, non poteſt nulla eſſe quando vbi ſepeliantur attenditur. Sed cum talia vivorum ſolatia requiruntur, quibus eorum pius in ſuos animus appareat, non video quæ ſint adjumenta mortuorum: niſi ad hoc vt dum recolunt, vbi ſint poſita eorum, quos diligunt corpora; eiſdem Sanctis illos tanquam Patronis ſuſceptos, apud Dominum adjuvandos orando commendent.* Tandem totum librum his verbis claudit; *vnde oportet, vt quam poteſt, pro carne proximi curam gerat, cum ille inde receſſerit, qui regebat: & ſi hæc faciunt qui carnis reſurrectionem non credunt; quantò magis debent facere, qui credunt? Vt corpori mortuo, ſed etiam reſurrecturo, & in æternitate manſuro, impenſum eiuſmodi officium,*

Digitized by Google

ſit etiam quodammodo eiuſdem fidei teſtimonium. Huc vſque Auguſtinus dicto lib. ex quibus intelligis. 1. Quam pium atque Religioſum eſt, defunctorum Chriſtianorum corpora in locis Deo dicatis, ſub invocatione Martyris, aut alicuius inſignioris notæ Sancti, ſive ex ipſorũ defunctorum ante quam decederent proprio, ſive ex ſuperſtitum parentum charitativo motu ſepelire. 2. Alienum prorsùs eſſe ab Eccleſiæ ſenſu & ſententia, quòd hæ ſuperbæ tumulorum machinæ, impiorum defunctorum ſpiritibus proſit, quæ nihil etiam ſolatij fidelibus afferunt. Sed eas, vt qualeſcumque vivorum conſolationes, patitur. At extra controverſiam noſtram ſunt iſta, ad rem redeamus, & Monaſterij ſepta ſubeamus.

THEOPIST. Libens annuo & audio. Quid igitur de totâ illâ appendice tibi videtur, pro vt in Theſi jacet.

THEODVL. Monſtrum eſſe iam dixi vafrè elaboratum ad veteris, nec non Catholicæ de Purgatorio doctrinæ ſubverſionem: novæ autem, temerariæ & hæreticæ introductionem.

THEOPIST Quid monſtrum vocas? Theſim ex doctrinâ, partim Catholicâ, partim hęreticâ, ſcandaloſâ & temerariâ compactam ac eo fine confictam, vt blandius ſpecie Catholicæ veritatis incautas mentes decipiat. Nam in capite duas aſſertiones præfert Catholicas, ex apertâ Trid. Concilij doctrinâ decerptas, his verbis: *Indubitatâ fide credendum eſt peccata venialia, & graviorum criminum reliquias, poſt mortem expiari: plurimúmque ſpiritus defunctorum noſtris juvari ſuffragijs.* Tribus alijs eandem Theſim claudit, quibus ſanam & integram in fide caudam ei adnectit, hoc

Digitized by Google

verborum tenore. *Gloriæ quæ differtur, vehementius deſiderium, mirum in modum cruciat: ſed nihil ad damnatorum deſperationem. Qui purgantur neque peccare, neque mereri poſſe mihi certum eſt: Neque videtur ambigendum, quin ſecuri gloriam preſtolentur.* At totum corpus interpoſitum hæreticum temerarium; piarum aurium offenſivum, & ideò ſcandaloſum audeo pronunciare: audiamus quæſo ipſum: *Cætera* infit, *quæ de Purgatorio diſputantur non perinde certa ſunt. Locum ego nullum quæro; quippe nullo opus eſt, animis mole carentibus. Quales pœnæ ſint, ignis æſtuantis an Caliginis & Turbinis, nemini certum eſſe poteſt. Imo ſint ne vllæ omninò pœnæ ſenſus, ante diem Domini, non eſt admodùm certum. Auſi ſunt quidam Theologi, pœnis illis terminum figere: ſed vnde & quibus id aſſequuntur conjecturis? certè ante extremam mundi conflagrationem finem habituras non evincunt, Machabæorum, & Pauli loca.* Attende quæſo quomodo in hoc toto contextu; quædam ſub dubio, quædam verò cum plana, aut aſſeveratione, aut negatione pronuntiantur. Vbi ſuſpendit, animum legentis, ſua addubitatione fidem minuit aut detrahit rebus certis, ſenſimque & ſine ſenſu in errorem inducit: vbi autem negat aut affirmat, hæreſim ſapit, vel etiam hæreticus eſt. Expendamus ſingula, vt in aperta veritatis Catholicæ luce error detegatur, ventiletur, & Deo favente excutiatur.

THEOPIST. Pergratam rem mihi facies.

THEODVL. Primùm igitur anceps hæc loquendi formula: *Cætera quæ de Purgatorio diſputantur, non perinde certa ſunt:* in materia fidei nequaquam toleranda eſt.

THEOPIST. Quid amabo in ea animadverſione dignum reperis?

THEODVL. Tria: 1. Nomen iſtud *Cætera*. 2. Verbum *Diſputantur*. 3. Adverbium *Perinde*. Nam iſtud *Cætera* involuit omnia ſubjecta in Theſi: videlicet locum, qualitatem quantitatem, modum durationem pœnarū illarum & alia quæ ſubnectuntur. 2. Verbum, *Diſputantur*, innuere videtur, cætera iſta omnia, poſſe in vtramque partem, ſalva fide Catholica agitari, cum maximè, hoc adverbio, *Perinde*, fides eis certa detrahatur. Sive enim abſolutè, ſive relativè ſumatur poſitio iſta; ſin minus hæretica eſt, ſaltem hæreſim ſapit. Abſolutè ſumpta ſignificat, cætera quæ de Purgatorio diſputantur nulla fide divina certa eſſe, quod hæreticum eſſe cenſeo. Nam hæreſis eſt evidens, ſimpliciter & abſoluté dicere, nullas eſſe pœnas ſenſus ante diem vltimæ conflagrationis: aut nullum finem habituras Purgatorij pœnas ante eundem diem. Si autem ſumatur, relativè ad duas precedentes propoſitiones, quas indubiâ fide tenendas propoſuit: quamvis reverà omnia quæ hoc nomine *Cætera* intelliguntur, pari fide non tenenda ſint, ac illa duo prima, quia forte non ſunt ab Eccleſia expreſſè definita: cum tamen piè credita paſſim abs Catholicis, pietatem augeant, ac bonis operibus collaborent; impium videtur ea ſub dubio proponere. Tandem ea propoſitio ſapit hæreſim, ex Doctiſſimo Cancellario ſuperiori noſtro colloquio à me citato, ex cujus negatione, quamvis non hæretica, ſequitur hæreſis ſeu veritatis Catholicæ negatio, vel deſtructio. Exempli cauſa in hac materia quam tractamus: de fide eſt, animas fidelium purgari poſt mortem in aliquo loco ſibi à divina juſtitia vindicativa deſignato; ſive is ſit, qui communi omnium orthodoxorum ſenſu

Purgatorij

Purgatorij nomine intelligitur, ſive alius ſicut huic divinæ vindici viſum fuerit, at allata hujus negationis ratio, *locum nullum quæro; quippè animis mole carentibus nullo opus eſt;* nimis probat, & omnem locum, tàm Purgatorij, quàm etiam inferni excludit, cum & damnati ſeu reprobi defunctorum ſpiritus, tàm mole careant, quàm qui ſolum purgantur. Quod directè pugnat cum Evangelio, vbi Luc. 16. Legimus divitem Epulonem ſepultum in inferno, quem & ipſe, paucis interjectis, vocat locum tormentorum. *Rogo ergo te Pater vt mittas &c. ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorũ*, Græca phraſis emphatica eſt, εἰς τὸν τόπον τοῦτον τῆς βασάνου Scis enim hunc articulum τὸν & pronomen τοῦτον eſſe demonſtrativa, & deſignativa ſingularis rei ſubiectæ, de qua eſt ſermo.

Fœtet igitur, me iudice, omnis hæc loquendi formula, peſſimumque odorem hęreticæ pravitatis exhalat. *Hæretici*, vt pręclare docet, Tertul. l. de reſur. carnis, *conſcientiâ infirmitatis nunquam ordinariè tractant*, & Magnus Hilar. l. 2. de Trin. *Forma fidei certa eſt: ſed quantum ad hæreticos omnis ſenſus incertus eſt. Non eſt præceptis aliquid addendum, ſed modus conſtituendus eſt audaciæ, vt quia malignitas inſtinctu diabolicæ frodulentiæ excitata, veritatem rerum per naturæ nomina eludit, nos naturam nominum proferamus. His igitur*, inquit, idem l. de Synod. *tot tamque gravibus fidei periculis verborum brevitas temperanda eſt, ne impiè dici exiſtimetur, quod piè creditur; ne ſecurâ atque innocente conſcientiâ per occaſionem hæreticorum reus ſit ſermo.* Quod ſanè hac in materia, Facultatis noſtræ Magiſtris, necnon alijs eius membris, hac tempeſtate maximè obſervandum eſt; quâ qui putantur ex noſtris

Ianſen. facile veniunt in ſuſpicionem Calvin. ne fortè, temerè videantur imitari linguam blaſphemantium. Quid enim de eo ſentire poſſumus, qui in publicis comitiis, cum hæc controverſia agitaretur à Sapien. Mag. noſtris, auſus eſt palam abſque vllius reprehenſione, aut caſtigatione, ea quæ in defunctorum ſolatium Deo offeruntur ſuffragia & Sacrificia, *appellare quæſtuoſam pietatem*? Miraris ergo ſi in foro & in compitis populus Pariſienſis jam clamitabat Sorbonam factam eſſe Calviniſtam, tollendo Purgatorium de medio?

Theopist. profectò non miror. Imo inde intellgo quàm juſtè ac ſapienter Apoſtolus Thimotheo ſuo Ep. 2. prohibeat, ne verbis contendat, *præcipiatque ei, vt ſollicitè curet, ſeipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem rectè tractantem verbum veritatis.*

Theod. Legiſti Emin. Cardin. Thomæ de vio Cardin. Cajet. Commentarium in hunc locum?

Theop. Non memini me legere.

Theod. Egregius eſt, doctus & omnino ad materiam quam tractamus: proferam igitur. Ac primùm Græca phraſis Apoſtoli attendenda, quæ ſic habet, ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, id eſt, *rectè ſecantem verbum veritatis, ad ſimilitudinem,* inquit Cajetanus, *ſecantium ligna, ſecundum lineam rectam; dicit rectè ſecantem verbum veritatis, non ſufficit, Paſtorem Eccleſiæ* (qui Doctor eſſe debet) *probatum eſſe intus, & foris operarium abſque erubeſcentiâ: ſed oportet tertio ut verbum Evangelicæ veritatis abſque obliquitate aliquâ diſtribuat auditoribus.* Quid autem, amabo, hac Theſi obliquius. In Theſibus ſiquidem verbum veritatis ſecatur in diverſas ap-

Digitized by Google

pendices & poſitiones. At ſi cum ambiguitate, obliquitate, ambagibus diſtribuatur aut ſecetur; quis inde poterit, aut inſtrui aut ædificari? Samuel primo Regum, c. 9. *Vir Dei & Nobilis inde agnoſcitur*, quòd *omne quod loquitur, ſine ambiguitate venit.* Comparat autem Apoſtolus malè ſecantes aut diſtribuentes verbum veritatis, morbo cancri qui paſcitur in carne ulcerata: *ut intelligamus*, ait idem Cajet. *Horum ſermonem, ubi auditores invenerint paſci in vulneratis animis.* Quod profectò magno Eccleſiæ damno, his infortunatiſſimis temporibus plus experimur, quàm dici queat.

THEOPIST. His omnibus aſſentior, probèque intelligo quàm periculoſè fidei doctrina à non ſatis pijs pertractetur. Vnde & Apoſtolus ſermonem ſapientiæ & ſcientiæ, inter varia Spiritus Sancti chariſmata enumerat, communiter quæ à noſtris Magiſtris docetur, habitum piæ credulitatis, viam præmunire debere, habitui fidei. At quandò his te donis egregiè inſignitum novi, totam hanc de Purgatorio doctrinam mihi Catholicè, nec-non dilucidè exponas velim.

THEOD. Faciam libens; eoque ordine, quo in Theſi diſtribuitur: vt 1. de loco, ſecundò de qualitate, demùm de duratione illarum pœnarum diſſeram. *Locum ego nullum quæro*, inquit ille Bacalaureus in ſua Theſi; *quippe nullo opus eſt animis mole carentibus.* Debuerat ille à Doctioribus amicè inquirere laureæ Magiſtralis candidatus: eſt enim Theologi & præcipuè Magiſtri atque Doctoris, diligenter inveſtigare in Sacris Paginis locos ſeu ſedes argumentorum, quibus obſtinatam hæreticorum mentem adverſus,

Digitized by Google

vel fidei dogmata jam definita, vel communi totius Ecclesiæ ſenſu recepta, perfringere valeat, & omni poſcenti ſe rationem fidei ſuæ reddere: Non autem fidem his detrahere, aut imminuere ſuis addubitationibus aut tergiverſationibus. Ac revera ſi ritè & ſollicitè quæſiviſſet; inveniſſet 1. Locum ſubterraneum cap. 5. Apocalyp. in quo ſpiritus juſtorum recluſi laudant Deum, dicentes cum his qui in cœlo, & qui ſuper terram: *ſedenti in Throno & Agno; benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum.* Atenim quænam creaturæ ſub terra capaces eſſe queunt huius laudis exhibendæ Deo Trino-Vno ſedenti ſuper Thronum, & Agno, id eſt Domino Ieſu Chriſto Mediatori Dei, & hominum, & concurrendi in unius melodiæ concentum, unà cum Angelis, qui in cœlo ſunt, & cum juſtis hominibus, qui in terra degentes converſationem habent in cœlis? An Dęmones in inferno ſimul cum damnatis hominibus, qui ſunt ex parte illorum? profectò id nemo dixerit. Cum etſi forte in nomine Ieſu genu flectere cogantur, nulla tamen ratione gratias agere poſſunt unà voce, & uno corde cum Beatis ac Prædeſtinatis, pro beneficio à quo prorſus exciderunt. An Sancti Patres in Limbo? At, & hîc locus vacuus erat, cum Ioannes hac viſione donatus eſt: & qui locum purgandis animabus deſtinatum negant; Negant & Limbum Sanctorum Patrum: pernegantque Calvinius, & Sectarij eius, Chriſtum ad Inferos deſcendiſſe, niſi forte Metaphoricè: vel quia ſpiritus ejus in Cruce damnatorum pœnas ſuſtinuit: vel quia Corpus eius de Cruce depoſitum, in tumulo reconditum fuit. Valetque allata in Theſi ratio, contra Limbum & Infer-

Digitized by Google

num, imò & Cœlum: Nam nec beatis, nec damnatis ſpiritibus mole carentibus,loco vllo opus eſt, ſive ad beatitudinem, ſive ad æternam infœlicitatem.

THEOPIST. Non eſt, me judice, par ratio. Nam etſi ſpiritibus, aut beatis, aut in æternùm maledictis, præciſè & per ſe nullo loco opus ſit: tamen quia ſemper habent reſpectum ad corpus, quod in reſurrectione reſument; eapropter locus vtriſque deſtinatus eſt. At non ſic de ſpiritibus medijs ſive purgandis, qui ideo nullo loco indigere videntur, quòd ante corporum ſuorum reſurrectionem purgationem omnem abſolverint.

THEODVL. Optima ſanè objectio. Sed in promptu eſt reſponſio. Nam Chriſtus vt habetur Math. 25. Cum ſederit in ſede Majeſtatis ſuæ, & omnes Angeli cum eo, dicturus eſt hædis, id eſt reprobis adſtantibus à ſiniſtris ſuis: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus Diabolo & Angelis eius.* Vbi manifeſtè indicat locum eſſe quendam, jam ab initio paratum & deſtinatum Diabolo, & Angelicis eius ſpiritibus mole carentibus, ad luendas æternæ ſuæ damnationis pœnas, quo remittit & homines reprobos vltimo Anathemate feriendos. Quamvis igitur per ſe loquendo nullo loco indigeant, ſpiritus vt æternam, aut temporariam pœnam damnationis ſuſtineant: ſpectat tamen ad divinam Iuſtitiam vindicativam aliquem eis deſignare, cui ad majus ſupplicium, & ad majorem injuriam alligentur; non quidem circumſcriptivè ad modum corporum, ſed definitivè, vt loquutur noſtri Scholaſtici: cùm non poſſint eſſe vbique: id enim proprium eſt ſolius immenſitatis divinæ: Sed hæc extra rem noſtram. Sat eſt nos ex præci-

Digitized by Google

tató Apocalypſ. loco evidenti demonſtratione habere, dari locum ſubterraneum, in quo ſpiritus detineantur, qui cum Eccleſiâ in Cœlis Triumphante, & in Terris Militante, pro immenſis Creationis & Redemptionis Beneficijs, Deo & Agno gratias habeant immortales, quod ſoli Eccleſiæ in Purgatorio patienti, poteſt convenire.

Theop. Peremptoria mihi videtur hæc demonſtratio. At hanc vnam habes?

Theod. Habeo & alias, Sanctorum Patrum auctoritate, & expoſitione firmatas. Nam ſi Purgatorij locum probè intelligamus, nihil aliud eſſe dixerimus, niſi illam cuſtodiã de quâ ipſe Salvator in Evang. Math. & Petrus 1. Can. cap. 3. Loquitur. Verba Salvatoris penſanda ſunt, & expendenda. *Eſto*, inquit, *conſentiens adverſario tuo, citò dum es in via cum eo, ne forte tradat te adverſarius judici, & judex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris: Amen dico tibi non exies indè, donec reddas noviſſimum quadrantem.* Hæc cap. 5. v. 25. cap. autem 18. verſu 34. Iratus Dominus, ſervum nequam tradidit tortoribus, quo-ad vſque redderet vniverſum debitum. De quo, amabo, Theopiſte, carcere vtroque hoc loco loquitur Dominus? An de carcere civili & Regio ſeculari: an verò de divino & extramundano Iuſtitiæ divinæ?

Theop. Magnam hic moves Controverſiam, Theodule, quam, ni fallor, non facile dirimes?

Theod. Dirimam, favente Deo, facilius quàm tibi perſuadeas, fretus auctoritate duorum Antiquiſſimorum Patrum, Auguſtini videlicet, ac Cypriani.

Ac primum fatearis mihi neceſſe eſt, hæc omnia nomi-

Digitized by Google

na *Iudex reus*, *adverſarius* ſive *actor*, *miniſter*, & *cuſtodia ſeu carcer*, eſſe correlativa, itavt vnum alterum inferat neceſſariò, & ad idem forum ſeu tribunal pertineant. 2. Extra dubium eſt, Chriſtum Dominum non loqui de foro, tribunali, iudice, actore ſeu adverſario, reo, Miniſtro, carcere ſeculari aut merè politico, ad ſtatum præſentis ſæculi pertinentibus: ſed de tribunali, iudice, miniſtro, carcere divino, & de reo, à Deo per ſuæ iuſtitiæ divinæ miniſtros puniendo in altera vita. Quam enim, amabo, Chriſtus in hac vita iuriſdictionem exercuit, aut quod apud homines ſeculares tribunal erexit? Invenio eum coram Pontificibus, Herode Rege, & Pilato Proconſule comparuiſſe, iudiciumque eorum, etſi iniquum atque perverſum, ſubjiſſe: at numquam iudicis partes obijſſe. Venit enim, vt loquitur ſæpiſſime Auguſtinus, *non iudicaturus: ſed iudicandus: non enim Deus*, vt ipſe inquit, *miſit filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum: ſed vt ſalvetur mundus per ipſum.* Agitur igitur hic de iudicio exercendo poſt hanc vitam in altero ſeculo, vt ſatis conſtat ex ipſis verbis domini: *Eſto* inquit, *conſentiens adverſario tuo, citò dum es in viâ cum eo; ne forte tradat te adverſarius iudici*: nemò enim eſt qui neſciat viam illam, vitam hanc deſignare in qua peregrinamur à domino: alteram verò patriam nuncupari: ſed interim niſi cum adverſario negotium tuum egeris, & ei ſatisfeceris, convenerisque de debito, poſt hanc vitam tradet te iudici, conveniet te apud iudicem, & tunc nullus erit remiſſioni locus: ſed in carcerem detrudêris, vnde non exies donec omne debitum exolueris. Actor autem ille ſive adverſarius ipſa tua eſt conſcientia, vel Angelus malus, vel etiam

Digitized by Google

bonus tibi in cuſtodiam deputatus ἀντίδικος ὁ διάβολος vt loquitur Petrus 1. Canon. c. 5 Traditio iſta fiet in ipſo articulo mortis, in quo ſiſtêris Domino: & niſi plenè ſatisfeceris, mittêris in carcerem. Quem? non infernum damnatorum, in quo nulla eſt redemptio: non ſecularis huius πολιτείας ſive converſationis, vt loquitur Paulus. Nam quamdiu ſumus in hoc tabernaculo, poſſumus convenire cum adverſario, & ei vel plenè ad rigorem iuſtitiæ ſatisfacere meritis Chriſti, vel ſaltem Indulgentiam aut remiſſionem ab eo obtinere. Viâ autem completâ, niſi cum eo conveneris, tradet te adverſarius iudici, & *iudex in carcerem mandet, vt* cum Tertul. loquar, *infernum vnde non dimittaris, niſi modico quoque delicto mora reſurrectionis expenſo.* Ecce igitur carcerem, & quidem infernum, in quo etiam modicum quodlibet delictum, morâ reſurrectionis expenditur: id eſt vt docet Auguſt. in Enchir. tempore, quod inter mortem & vltimam reſurrectionem interpoſitum eſt.

Theopist. Favet hic locus graviſſimi & antiquiſſimi auctoris ſententiæ iſtius Bacalaurei, quam in ſua Theſi his verbis aperuit. 1. *Sint ne vllæ omninò pœnæ ſenſus ante diem domini, non eſt admodum certum.* 2. *Ante extremam mundi conflagrationem finem habituras non evincunt, &c.* Quibus innuit, & nullam alteram dari pœnam in Purgatorio, niſi privationis beatificæ viſionis, ſive vt loquitur Tertul. moræ reſurrectionis: & hanc vſque ad reſurrectionem corporum eſſe duraturam.

Theod. nulla ratione id ſequitur: quamvis enim pœnâ damni plectantur: non ſequitur inde, nullam alteram

huic

huic adiungi : etſi ipſâ temporis intercapedine, quæ eſt inter vniuſcuiuſque mortem, & futuram reſurrectionem omnium generalem, illud debitum exoluatur, non ſequitur tamdiu duraturam : alioquin nullâ gravitatis aut levitatis delictorum habitâ ratione, pari ſupplicio leviores, & graviores noxæ, mendacium videlicet, & verbum otioſum; furtum vnius aſſis, aut decem aureorum animadverterentur: quod omnibus divinæ & humanæ iuſtitiæ legibus prorſus adverſatur. Sed de his fuſiùs inferiùs. Mihi ſufficit Tertul. vicinum temporibus Apoſtolorum, hunc locum intellexiſſe de carcere, in quo ſpiritus iuſtorum poſt mortem, & ante generalem mortuorum reſurrectionem luunt pœnas, minimis etiam peccatis ſuis debitas.

THEOP. Non eſt, meo iudicio, lux meridiana clarior hac Evangelica demonſtratione.

THEOD. Lumen tamen amplius accipiet à Cypriano vix vno ſæculo poſteriore, & eius diſcipulo, qui Ep. 52. ſic apertè diverſos illos animorum ſtatus poſt mortem diſtinguit, & carcerem illum deſignat, vt vix ac ne vix quidem vllus dubitationi locus remaneat: *Aliud eſt*, inquit, *ad veniam ſtare, aliud ad gloriam pervenire: aliud miſſum in carcerem non exire inde donec ſolvat noviſſimum quadrantem: aliud fidei virtutiſque accipere mercedem, aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, & purgari diu igne: aliud peccata omnia paſſione purgaſſe.* Hæc ille Ad veniam ſtat qui humili confeſſione peccati ſui indulgentiam poſtulat, & eo fine ſiſtit ſe Sacerdoti : ad gloriam pervenit, qui cum innocentiâ baptiſmali defungitur : mittitur in carcerem ſoluturus vltimum quadrantem, qui ſub bonorum vel malorum

Digitized by Google

Angelorum cuſtodiâ conjicitur in Purgatorij locum: Fidei virtutiſque accipit mercedem, qui legitimè, exemplo Pauli, certavit bonum certamen vſque ad mortem, quales fuere non modò Apoſtoli, ſed Apoſtolici viri Apoſtolorumque ſucceſſores, tot ſanctiſſimi Antiſtites, Doctores & alij egregij Confeſſores: Paſſione peccata purgaverunt, Martyres: Longo tandem dolore cruciatuum igne emendantur, qui diu in Purgatorio ſatis patiuntur. De tertio reproborum ſtatu, nihil hic dicit Cyprianus, quia non ad rem ſuam pertinebat.

Theop. His ad citati loci, ex Evangelio Matthæi, elucidationem nihil video deſiderandum, ſi pari perſpicuitate cuſtodiam illam, ad quam ex 1. Canon. Petri, Chriſtus prædicaturus pleniſſimam pœnarum relaxationẽ, poſt mortem deſcendit, illuſtraveris, gratias tibi habebo immortales.

Theod. Non meis, ſed magni Auguſtini luminibus, id me tibi præſtiturum confido, qui Ep. 99. Ad Evodium de hoc Petri loco eum interrogantem ſic loquitur. *Carne mortificatum* (Chriſtum videlicet de quo eo loco agit Petrus) *veniſſe in Infernum ſatis conſtat: neque enim contradici poteſt, vel Prophetiæ quæ dixit, non derelinques animam meam in Inferno, vel ejuſdem Petri illis verbis, quibus eum aſſerit ſolviſſe Inferni dolores in quibus, impoſſibile erat eum teneri. Quis ergo, niſi infidelis, negaverit fuiſſe apud Inferos Chriſtum?* Quod autem Infernum ad quem deſcendit Chriſtus, non ſit locus æternis damnatorum, ſive Angelorum, ſive Hominum ſuppliciis deputatus; ſic idem Auguſtinus pergit eadem Epiſt. demonſtrare: Neque enim illos ſoluit ab Inferni doloribus cum in Inferno nulla ſit futura redemptio: neque

etiam de ſinu Abrahæ in quo quieſcebat Lazarus, quando dives ille purpuratus vidit vtrumque à longè: quia inquit Auguſtinus, *ne ipſos quidem Inferos vſpiam ſcripturarum in bono appellatos potui reperire. Quod ſi nuſquam in divinis auctoritatibus legitur; non vtique ſinus ille Abrahæ, id eſt ſecretæ cujuſdam quietis habitatio, aliqua pars inferorum credenda eſt. Quamquam in his ipſis tanti Magiſtri verbis: vbi ait dixiſſe Abraham, inter vos & nos Caos magnum firmatum eſt, ſatis, vt opinor, appareat; non eſſe quandam partem, & quaſi membrum inferorum, tantæ illius fœlicitatis ſinum. Caos enim magnum, quod eſt hiatus multùm ea ſeparans, inter quæ non ſolùm eſt, ſed etiam firmatus eſt? Quapropter ſi in illum Abrahæ ſinum Chriſtum mortuum veniſſe Sancta Scriptura dixiſſet, non nominato inferno eiuſque doloribus; miror ſi quiſquam ad inferos eum deſcendiſſe aſſerere auderet: ſed quia evidentia teſtimonia, & infernum commemorant, & dolores; nulla cauſa occurrit, cur illò veniſſe credatur Salvator, niſi vt ab eius doloribus ſalvos faceret. Sed vtrum omnes quos in eis invenit, an quoſdam quos illo beneficio dignos iudicavit, adhuc requiro. Fuiſſe tamen eum apud inferos, & in eorum doloribus conſtitutis hoc beneficium præſtitiſſe, non dubito.* Tandem animâ, non Corpore Chriſtum deſcendiſſe ad inferos, ſic idem docet Aug. ibidem: *ſecundum animam eum fuiſſe apud inferos, apertè ſcriptura declarat, & per Prophetiam præmiſſa, & per Apoſtolicum intellectum ſatis expoſita, quâ dictum eſt, non dereliques animam meam in inferno.*

Ex quibus omnibus, nullo negotio poterat Auguſtinus concludere, infernum, ad quem Dominus deſcendit, eſſe illa loca quæ ipſe eâdem Epiſtolâ vocat, *pœnalia tanquàm carceres*, quos modò ex vſu Eccleſiæ dicimus Purgato-

Digitized by Google

rium. Nam ſi ipſi extra omne dubium eſt Chriſtum Dominum ſecundùm animam, mole carentem, ad inferos deſcendiſſe: ita vt infidelis duntaxat poſſit id negare: Si pari fide tenet horum inferorum nomine, non poſſe propriè ac preciſè intelligi ſinum Abrahæ: tùm quia nuſquàm ſe legiſſe meminit in ſcripturis iſtud nomen inferni in malam partem: tùm quia locus erat quietis imperturbabilis à quo exulabant prorsùs dolores, quos ſoluit Chriſtus, iuxta Petri doctrinam; Quid reſtat, niſi ipſum deſcendiſſe ad illam cuſtodiam in quâ detinebantur, qui increduli fuerant initio prædicationis Noe, cùm fabricaret Arcam: ſed qui poſtmodùm videntes inundantes aquas Diluvij, crediderant, & pœnituerant, ſed nondùm plenariâ ſatisfactione abſoluti, defuncti fuerant, quibus Chriſtus adveniens, prædicavit captivis remiſſionem, cæcis viſum, annum Domini acceptum, & diem retributionis, ſolutis priùs doloribus quibus tenebantur.

Theopist. Atenim ſi ea mens fuit Auguſtini, vt hic carcer ad quem Chriſtus deſcendit, vt inde liberaret, quos ab inferni doloribus ſolvendos iudicavit? quare non eum Purgatorij nomine compellavit, aut deſignavit. Secundò hæc Auguſtini doctrina, ſic à te expoſita, adverſari mihi videtur communi Eccleſiæ ſententiæ, quæ hoc ſui Symboli articulo, *deſcendit ad inferos*, non Purgatorium, ſed ſinum Abrahæ, aut quod in idem recidit, Sanctorum Patrum Limbum intelligit: ſoluat mihi hos duos nodos, & vltrà fatebor hunc Petri locum, de cuſtodiâ purgandis poſt mortem hominum ſpiritibus deſtinata, eſſe intelligendum.

Theod. Ad primum facilis eſt reſponſio: pari enim

Digitized by Google

ratione inquirere poſſemus; quare Sancti Patres, Trinitatis, conſubſtantialitatis, Tranſubſtantiationis, & alijs eiuſmodi nominibus ante Eccleſiæ definitionem non ſint vſi? Rés in ſcripturis, non nomina anquirimus. Pertinetque ad Eccleſiam quibus viderit nominibus, ius civilitatis tribuere, ad exprimendos veros, germanos atque Catholicos ſcripturæ ſenſus, quæ privatus Doctor & modeſtus, vt erat Auguſtinus ſibi vindicare non audet. Præterea idem Auguſtinus huius Epiſtolæ, tàm initio, quàm fine, ſe nihil in hac materiâ definiturum profitetur: ſed tantùm expoſiturum difficultates, quibus in hoc Petri loco exponendo, animus eius movebatur. Sic enim Evodio ſuo loquitur: *Replico tibi eandem quæſtionem, vt ſive tu ipſe potueris, ſive aliquem qui poſſit inveneris, auferas de illâ, atque finias dubitationem meam.* Modeſtia igitur Auguſtini, ſuſpenſam eius animi ſuper hac quæſtione ſententiam, non tàm continuit, quàm ne proferret, cohibuit.

2. Ex verbis illius apertè colligitur, locum tertium eſſe neceſſariò admittendum, vndè ſolutis inferni doloribus aliquandò quidam liberantur: quod cum de inferno inferiori non poſſit intelligi; ille duntaxat ſupereſt, quem nos cum Eccleſiâ Catholicâ Purgatorium compellamus.

Ad ſecundum non difficilior reſponſio; nempè qui dicit Chriſti animam corporis mole exutam in hunc carcerem, vbi quæ aliquandò incredulæ fuerant, dum Noe Arcam fabricaret, ſuæ infidelitatis pœnas luebant, ac maculas detergebant, veniſſe; non negat eum Patrem fidei Abrahamum & in eius ſinu quieſcentes fideles animas ſuà viſitatione decoraſſe, ac ſalutiferâ preſentiâ recreaſſe:

qui infimum gradum attigit, non medium, aut ſuperiorem prętermiſit. Vno verbo qui aſcendit, ipſe eſt qui deſcendit, primùm in inferiores partes terræ, quas vocat Apoſtolus Epheſ 4. κατέβη πρῶτον εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς: ſed ſuperiores inſalutatas non pertranſijt: ſicut neocum Ioannes dicit verbum carnem factum eſſe, conſequens eſt ipſum non aſſumpſiſſe ſpiritum ſeu animam: ſed è contrà, qui dicit carnem aſſumptam, dicit & ſpiritum quo vivificatur: ita qui Chriſtum etiam ad carceres, quos Eccleſia *Inferi portas appellat*, veniſſe docet, commendatam nobis voluit ſummam Salvatoris benignitatem, & humanitatem; quæ nec hos corde confractos, & contritos omittere potuit: ſed velut Paſtor bonus oves chariſſimas requiſivit, & ſuis humeris reportavit ad gregem.

Theop. Quandoquidem mentionem injeciſti loci illius Apoſtoli ad Eph. in quò docet; ideò Chriſtum exaltatum in cœlis ſuprà omnem Angelorum Hierarchiam, quia primùm deſcenderat in inferiores partes terræ, an aliquem Sanctorum Patrum proferre mihi valeas, qui de Purgatorio, aut Limbo Patriarcharum, juſtorumque aliorum Veteris Teſtamenti ipſum intelligat.

Theod. Proferam equidem, nedum Sanctos Patres, ſed ipſaminet Sapientiam Increatam, quæ poſtmodùm Incarnanda, cap. 24. lib Eccleſiaſtici, quem Hieron. Auguſtinus, & alij inter Prophetales adnumerant, de ſe ipſâ Prophetìcè, ſic loquitur: *penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes; & illuminabo omnes ſperantes in Domino*: quod ergò hæc promiſit pluribus ante Incarnationem annis, Paulus completum atteſtatur: *pene-*

travit enim omnes inferiores partes terræ: id eſt diverſos ac multiplices ſinus ſive receſſus infimi iſtius elementi, qui niſi multi eſſent, nunquam profectò numero plurali dixiſſet, *omnes partes: inſpexit omnes dormientes.* Non ignoras hoc dormientium nomine, animas fidelium, qui in fide, & charitate diſceſſerunt, intelligi. Vidit qui in inferno inferiori illo cum guloſo divite cruciabantur: qui in ſuperiori Sanctorum Patrum ſinu Abrahami quiete ſuaviſſima fruebantur: qui in medio ſatis patiebantur, & purgabantur: ſingulorum expendit merita, & *illuminavit omnes ſperantes in Domino.* Super ingratos autem & reprobos, omni ſpe prorſus deſtitutos æternis ſeris ac vectibus os inferni iſtius clauſit, nuſquàm ſuper eos aperiendú. De his etiam ſuperioribus terræ partibus ſeu receſſibus, in quibus ſperantes in Domini adventu, cuſtodiebantur; intelligendus eſt locus Zachariæ c. 9. in quo Propheta ſic futurum Meſſiam alloquitur; *Tu quoque in ſanguine Teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua. Convertimini ad munitionem vincti ſpei: hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi*: quem ſic Hieronymus interpretatur. *In ſanguine Paſſionis tuæ, eos qui vincti in carcere tenebantur inferni, in quo non eſt ulla miſericordia, tu à clementiâ liberaſti.* Quod autem per hunc carcerem in quo nulla reperitur miſericordiæ aqua, non intelligat Hieronym. infernum damnatorum, ſatis primò per ſe patet, ex eo quòd nulli in eo vincti per Novi Teſtamenti ſanguinem, indè educti, aut aliquandò educendi ſint. Fuit quidem error Origeniſtarum: ſed ab hac mente tam alienus fuit Hieronymus, ut eos perpetuis odijs inſecutus fuerit, 2. Ex ipſo textu Hieronymi ſatis

liquet : diſtinguit enim expreſsè inter utroſque : nam poſt quam dixit : *in hoc lacu inferni morabatur dives , &c. addit: rursúmque ad ipſos qui vincti erant , & Chriſti miſericordiâ liberandi, ſermo dirigitur : convertimini ad munitionem vincti ſpei: & eſt ſenſus , qui nunc vincti eſtis & immiti atque terribili inferno tenemini.* Quis, amabo, mente ſanus Abrahami ſinum, immitem atque terribilem infernum dicet ? at benè Purgatorium : nam haud dubiè lacus eſt ſine ullâ aquâ miſericordiæ, juſtitiæ vindici divinæ ſatisfaciendæ ad rigorem deſtinatus ? pergit Hieronym. *qui ſolutionem vinculorum, in Chriſti ſperatis adventu, convertimini ad munitionem, &c.* Pauciſque interjectis *addit : hanc munitionem ad quam cohortatur vinctos ſpei S. vinctos ſperantes Eccleſiæ, non aliam debemus accipere , niſi habitationem Paradiſi , in quam primus cum Domino Latro ingreſſus eſt.* Ex hac igitur D. Hieronymi hujus loci doctiſſimâ intepretatione, habemus hunc lacum ſine aqua eſſe immitem atque terribilem infernum. 2. Habemus in eo vinctos & detentos ſpei fuiſſe ſperantes in Domini adventu. 3. Habemus munitionem ad quam ut convertantur, eos Propheta exhortatur eſſe Paradiſi habitationem, in quam cum Domino primus ingreſſus eſt Latro. Habemus tandem ex Prophetâ, ipſos ex hoc lacu emiſſos, cum videlicet aſcendens in altum captivam duxit captivitatẽ: quæ cùm nec de damnatis aut reprobis, qui nunquàm ex lacu ſulphuris , & ignis educendi ſunt : nec de Sanctis Patribus, qui in ſinu Abrahæ requieſcebant, nullatenus intelligi valeant; reſtat ut de his qui in Purgatorio & patiente Eccleſia, ratione & intelligentiâ teneantur.

In eundem ſenſum Magnus Hilarius 82. Pſal. 118. verſu ;

Digitized by Google

ſum ; *Defecerunt oculi mei in ſalutare tuum*, *dicentes quando conſolaberis me*, interpretatur. *Deſideria* hæc, inquit, *in ſe Prophetarum Dominus teſtatur, cum dicit: multi Prophetæ & juſti quæſierunt videre, quæ vos videtis: ſed hi modo oculi Prophetæ licet Deum videre deſideraverint, non ſunt tamen corporis oculi: loquuntur enim & expectant, & mentis eſt potius contritio iſta & loquela, non corporis. Dicunt enim quando exhortaberis me* (ſic legit pro conſolaberis me) videturque ad Petri loquendi formulam alluſiſſe, quà dicit Dominum prædicaſſe his ſpiritibus. *Ergo hanc exhortationem Sanctos quieſcentes in inferno deſiderare ſcit, teſtante Apoſtolo Petro, deſcendente in inferno Domino etiam, his qui in carcere erant, & increduli quondam fuerant in diebus Noe, exhortationem prædicatam eſſe.* Huc uſque Hilarius; quem vides non modo non alienum à noſtrâ ſententiâ, ſed fideliſſimum interpretem Novi Teſtamenti per allegoriam Veteris, quam enim illæ Sanctorum animæ conſolationem in vinculis expectabant; hanc illis Petri teſtimonio à Domino Salvatore præſtitam confirmat.

Quod verò ſpectat ad Pauli locum, vix ullum Legi, tam ex Veteribus, quàm ex Modernis, qui illum de deſcenſu Chriſti ad inferos non intellexerit. Hieron. ibi. *infernum ſub terra eſſe nemo jam ambigat, qui deſcendit cum anima in infernum, ipſe cum animâ & corpore aſcendit in Cælum.* Ambroſ. ibidem. *Triumphato Diabolo, deſcendit in cor terræ, ut oſtenſio ejus prædicatio eſſet mortuorum* (alludit ad Petri locũ ſuprà citatum & expoſitum) *ut quotquot cupidi ejus eſſent liberarentur:* Theophilactus ibidem. *Ad quem locum deſcendit? in infernum, nimirum, quem profundiſſimas terræ partes, pro*

Digitized by Google

communi hominum opinione, appellat. D. Tom. ibidem. *Poteſt intelligi de inferno, qui infrà nos eſt; illuc enim deſcendit Dominus ſecundùm animam, ut inde Sanctos liberaret :* omitto cæteros recentiores, lege, ſi lubet, Titelmanum, Cajetanum, Eſtium, & alios in maximis Biblijs P. de la Haie.

Maneat ergò fide ſanctum atque definitum, dari hunc locum ſubterraneum, in quo lege ordinaria (nam de extraordinariâ nihil dicimus) ſpiritus fidelium, qui aut peccatis venialibus implicati, aut graviorum delictorum reliqujis onerati; in fide tamen Ieſu Chriſti, ſpe, & charitate Dei diſcedunt, purgantur.

Theop. Quomodò definitum dicere præſumis, quod nullius hùc vſque, quod ſciam, plenarij, ideſt vniverſalis Concilij auctoritate ſtatutum aut determinatum eſt. Legi equidem in Decretis fidei Concilij Senonenſis, celebrati an. Dom. 1528. ſub Anthonio à Prato Emin. Card. damnatam Lutheri doctrinam, vt hæreticam, qui Purgatorium tollebat, *& quò Laïcos gravius in Clericorum odium exaſperaret ſacrificia, oblationes, & omne id genus pro defunctis orationes* (verba ſunt Concilij) *recens eſſe Sacerdotum commentum impudenter aſſeverabat*, neque enim *ex eorum eſt numero*, ſcilicet, anima quæ cum peccatis tantum venialibus diceſſit, *quorum blaſphemia non remittitur, neque in hoc ſæculo, neque in futuro: ſed eorum potius quos ſub terra Deo laudem acclamantes, Sacer Apocalypſis liber commemorat*, de quo loco nos ſuperiùs legi & in Moguntinenſi ſub Archiepiſc. Sebaſtiano cap. 46. Hęc verba: *Ex eâ lem lege charitatis quâ nobiſcum adhuc cohærent, qui in fide & Communione Chriſti ex hac vitâ migrarunt, tenendum eſt defunctos vivorum pietate & orationibus ad-*

Digitized by Google

iuvari, ſaltem eos qui cum viverent, vt eis hoc prodeſſe poſſet, meruerunt, & paucis interjectis. *Eſt autem conſentiens Eccleſiæ doctrina multarum ſcripturarum collatione, & evidente ratione firmata, talem eſſe quendam medium decedentium ſtatum, qui non mox ut carnem hanc exuerint, aut extremis cruciatibus tradantur, aut ad beata illa Sanctorum conſortia admittantur. In quos moderatâ & mixtâ clementiæ ſeveritate vindicat ad tempus, is qui, & miſericordia ſua, & tormentorum modum & menſuram novit.* At præterquam quòd hæc Concilia Provincilia ſunt, non plenaria, nihil in his de loco ſubterraneo determinatur purgãdis animis ſpecialiter deſignato: imo nec aliud in univerſalibus Florentino, & Tridentino, quàm quod in hac Theſi fide indubiâ tenendum ſtatuitur: videlicet, *Purgatoriũ eſſe, & animas ibi detentas fideliũ ſuffragijs: potiſſimùm verò acceptabili Altaris Sacrificio juvari, præcipitque Sancta Synodus Tridentina Seſſ. illa 24. Epiſcopis, ut ſanam de Purgatorio doctrinam à Sanctis Patribus, & Concilijs traditam, à Chriſti fidelibus credi, teneri & doceri, & ubique prædicari diligenter ſtudeant.* Quod ut aſſequeretur hic Bacalaureus, prudenter videtur diſtinxiſſe, quæ certà fide tenenda, quæ verò opinione tantùm probabili habenda eſſent.

THEOD. Durum profectò, THEOPISTE, tibi, & omni Orthodoxo Theologo videri deberet, eò nos deveniſſe neceſſitatis & anguſtiarum, ut hic relegere cogamur, quæ huius noſtræ ætatis graviſſimi Doctores, ac fidei Catholicæ ſtrenui propugnatores, adverſus perfidiam Lutheranam, & Calviniſticam ſcripſere, quos inter Illuſtriſſimus de Coeffeteau noſtræ Facultatis decus, ac Marſilienſis Epiſcopus deſignatus, adverſus Archiminiſtrum Petrum Mo-

linæum ſic in Apologiâ reſponſionis ſuæ ad Sereniſſimum Angliæ Regem noſtrâ Gentili linguâ loquitur. *L'Egliſe n'a pas defini comme article de Foi, que le Purgatoire fuſt au feu, encore qu'elle l'enſeigne : mais ſeulement a defini en titre d'article de Foi, qu'il y a un* lieu *en l'autre vie, où les ames ſont purgées par les peines qu'elles endurent, & deſquelles elles peuvent eſtre délivrées par les Prieres des vivans. En ſigne de quoi le Concile de Florence, du conſentement des Grecs, prononça qu'il y avoit un Purgatoire, ſans rien ſpecifier de la qualité de ſes peines.* Falleris igitur, mi Theopiſte, nec ſatis attentè duo illa Concilia legiſti, vt eorum ſenſus attingeres.

Ac primum nihil apertiùs aut evidentiùs his Florentini Concilij diſertis verbis: *Tria eſſe loca, & differentias; nempè, ſanctorum animas, in Cælo: peccatorum & ſinè pœnitentiâ decedentium, in inferno, velut animam Iudæ: medium verò locum eſſe habentium peccata venialia &c.*

Theop. At hæc verba in Decreto Eugenij, quod ſolùm facit fidem non habentur.

Theod. Fateor non haberi in Decreto Eugenij: at cùm Decretum Eugenij de conſenſu Græcorum editum fuerit; cenſendum eſt illud comprehendere omnia dogmata, in quibus ipſi conſenſerant: certum autem eſt Græcos conſenſiſſe huic publicæ Latinorum fidei profeſſioni, quâ tria hæc loca, tàm apertè, tàm expreſſè, tàm diſertè admittebant. Sic enim ſe res habuit. Dum quidam è Patribus qui primùm Baſileæ convenerant Florentiæ, quò Concilium tranſlatum fuerat propter peſtem, expectarentur; mutuo conſenſu vtriuſque gentis Græcæ, & Latinæ, quæſtio de Purgatorio agitata eſt. Latini primi Græcorum expoſtula-

Digitized by Google

tione, ſcripto ſententiam ſuam his verbis conceperunt, & Græcis expoſuerunt.

Tria eſſe loca, ac differentias; nempè ſanctorum animas eſſe in Cœlo: peccatorum, & ſine pœnitentiâ decedentium in inferno, velut animam Iudæ: medium verò locum eſſe habentium peccata venialia, hoc eſt, eorum qui facta ſuorum peccatorum confeſſione, ſumptoque pretioſo Chriſti corpore, morte inſtante; debent tamen ſatisfactionem: & paucis interjectis, addiderunt quòd itali ignem hunc Purgatorium eſſe, in præſenti ſæculo arbitrantur, animaſque per illum purgari. *Quibus reſponderunt Græci: Quæcumque dixiſtis, & Sanctorum teſtimonia quæ recitaſtis, Græcorum Eccleſia recipit & legit: parúmque inter nos hac in re differt.* Porrò in quibus differrent, Græci expoſuerunt dicentes: *Purgatorium, non ignem, ſed obſcurum quendam locum, ac laborum plenum eſſe cenſemus, in quò quidèm exiſtentes animæ, lumine divino privantur, donèc adjuvante Eccleſiâ expientur, & liberentur.* Locum ergo purgandis animabus deſtinatum habemus, ex vtriuſque Gentis confeſſione, quibus accedente Eugenij definitione de Purgatorij exiſtentiâ; nihil firmiùs, meâ quidem ſententiâ, dici poteſt, quàm & ipſum locum ſaltem implicitè eſſe definitum. Sed, & ſi ad Tridentinæ definitionis verba primo intuitu attendas, intelliges ſatis expreſſè ab eo eſſe definitam hanc veritatem. Cùm enim aſſeverantèr dicat, eſſe Purgatorium, *ibique detentas animas fidelium, &c.* Quid aliùd hoc adverbio loci, *ibi*, quàm locum deſignat? An detineri animæ, ſive fidelium, ſive infidelium, torqueri, purgari, niſi alicubi, poſſunt? ſpiritus quidem, mole carentes definitivè, non

Digitized by Google

circumſcriptivè, vt loquitur ſchola ſunt in loco. Partes enim non habent, quæ loci ambientis partibus reſpondeant: ſed ſubſtantiæ ſunt intelligentes, non quidem immenſæ, vt Deus, ſed finitæ atque limitatæ virtutis, quæ ibi eſſe dicuntur, vbi & patiuntur, & operantur. Locum ergò ſi Theſis illius vindex ac propugnator ſincerè quæſiviſſet, procùl dubiò in ſcripturis vtriuſque fœderis, in Sacrorum Conciliorum definitiònibus, & in Sanctorum Patrum traditione ſucceſſiva, inveniſſet. Hæc de primo reprobæ illius Theſis, ſeu appendicis membro; ad ſecundum veniamus; niſi iã lõgior oratio tædiũ aliquod tibi ingeſſerit.

Theop. Tàm copioſè, luculenter & fortiter de primo diſſerviſti, vt in memet experiar, quod de ſe ſapientia dixit, qui edunt me adhùc eſurient. Appetitũ igitur, te de ſecundo audiendi potiùs, quàm nauſeam longâ tuâ diſputatione ingeneraſti: nec verò minoris momenti hæc quæſtio eſt: *Sintne omninò vlla pœna ſenſus ante diem iudicij?* Sic enim habet pars illa appendicis. *Quales pœna ſint? ignis æſtuantis, an caliginis, & turbinis, nemini certum eſſe poteſt: imo ſintne vlla omninò pœna ſenſus ante diem Domini, non eſt admodùm certum.* Ac primum ſcire vellem à te, an in priori parte hujus enunciationis, caſtigatione dignum quid animadvertas? Cùm enim indefinitum manſerit in Florentino, vt ipſe adnotaſti, an à caligine, mœrore, & anguſtijs duntaxàt? An verò etiam ab igne patiantur, & emundentur? vel vt cum ſcripturâ loquar, baptiſentur, ſpiritus qui in Purgatorij loco detinentur? nec quicquàm etiam ſuper hoc pronunciaverit Tridentinum; vnde nam cuiquam hoc certo conſtare poteſt?

Digitized by Google

Theod. Temeraria eſt hæc, vt jacet in Theſi, propoſitio. Temerarium eſt enim dicere, id nemini certum eſſe poſſe, quod vniverſalis Eccleſia Latina, quæ poſt Græcorum Schiſma, ſola eſt Catholica & Apoſtolica, tanquàm ſibi certùm, & fide notum profeſſa eſt in vniverſali Synodo: quod etſi non expreſſè definierit in Decreto Eugenij, ne hoc veluti offendiculo, vnionem Græcorum quæ erat majus bonum, impediret, aut retardaret: manet tamen ipſi certum, & vt ſibi certum, ipſis propoſuit, licet hanc ab eis expreſſam fidem, non expoſtulaverit: ſic in naſcentis Eccleſiæ cunabulis, Apoſtoli toleraverunt legalium praxim, nè adhuc infirmam fidem in Iudęorum animis exorientem opprimerent: vtque Synagogam, ſicut communi fertur adagio, cum honore ſepelierent.

2. Temerarium eſt hominem privatum, ne Doctorem quidem, ſed laureæ Doctrinalis candidatum, id impoſſibile ſcitu audaci, nè dicam procaci calamo pronunciare, quod duo Concilia Provincialia, fide divinâ credendum ſuis Eccleſijs propoſuerunt, & cujus oppoſitas enunciationes, vt hæreticas proſcripſerunt. Sic autem loquitur Concil. Senonenſe, jam à me citatum cap. 12. *Sacro approbante Concilio Provinciali, firmiter tenendum decernimus, culpâ per pœnitentiam abolitâ frequenter ſupereſſe temporalis pœnæ reatum eſſe*, & paucis interjectis. *Nec item gehennæ ſubjaceat, quippe qui gratiæ ſit particeps, ac pœnæ temporalis tantum ſit debitor: fit vt primùm purgetur ex ijs quæ geſſit in corpore, ſalvus tandem aliquandò futurus: ſic tamen quaſi per ignem. Quibus, inquit, ſi quis pertinaciùs obſtiterit, hunc pœnis in hæreticos à iure ſtatutis declaramus, coercendum.*

circumſcriptivè, vt loquitur ſchola ſunt in loco. Partes enim non habent, quæ loci ambientis partibus reſpondeant: ſed ſubſtantiæ ſunt intelligentes, non quidem immenſæ, vt Deus, ſed finitæ atque limitatæ virtutis, quæ ibi eſſe dicuntur, vbi & patiuntur, & operantur. Locum ergò ſi Theſis illius vindex ac propugnator ſincerè quæſiviſſet, procùl dubiò in ſcripturis vtriuſque fœderis, in Sacrorum Conciliorum definitiònibus, & in Sanctorum Patrum traditione ſucceſſiva, inveniſſet. Hæc de primo reprobæ illius Theſis, ſeu appendicis membro; ad ſecundum veniamus, niſi iã lõgior oratio tædiũ aliquod tibi ingeſſerit.

Theop. Tàm copioſè, luculenter & fortiter de primo diſſerviſti, vt in memet experiar, quod de ſe ſapientia dixit, qui edunt me adhùc eſurient. Appetitũ igitur, te de ſecundo audiendi potiùs, quàm nauſeam longâ tuâ diſputatione ingeneraſti: nec verò minoris momenti hæc quæſtio eſt: *Sintne omninò vlla pœnæ ſenſus ante diem iudicij?* Sic enim habet pars illa appendicis. *Quales pœnæ ſint? ignis æſtuantis, an caliginis, & turbinis, nemini certum eſſe poteſt: imo ſintne vllæ omninò pœnæ ſenſus ante diem Domini, non eſt admodùm certum.* Ac primum ſcire vellem à te, an in priori parte hujus enunciationis, caſtigatione dignum quid animadvertas? Cùm enim indefinitum manſerit in Florentino, vt ipſe adnotaſti, an à caligine, mœrore, & anguſtijs duntaxàt? An verò etiam ab igne patiantur, & emundentur? vel vt cum ſcripturâ loquar, baptiſentur, ſpiritus qui in Purgatorij loco detinentur? nec quicquàm etiam ſuper hoc pronunciaverit Tridentinum; vnde nam cuiquam hoc certo conſtare poteſt?

Digitized by Google

THEOD. Temeraria eſt hæc, vt jacet in Theſi, propoſitio. Temerarium eſt enim dicere, id nemini certum eſſe poſſe, quod vniverſalis Eccleſia Latina, quæ poſt Græcorum Schiſma, ſola eſt Catholica & Apoſtolica, tanquàm ſibi certùm, & fide notum profeſſa eſt in vniverſali Synodo: quod etſi non expreſſè definierit in Decreto Eugenij, ne hoc veluti offendiculo, vnionem Græcorum quæ erat majus bonum, impediret, aut retardaret: manet tamen ipſi certum, & vt ſibi certum, ipſis propoſuit, licet hanc ab eis expreſſam fidem, non expoſtulaverit: ſic in naſcentis Eccleſiæ cunabulis, Apoſtoli toleraverunt legalium praxim, nè adhuc infirmam fidem in Iudęorum animis exorientem opprimerent: vtque Synagogam, ſicut communi fertur adagio, cum honore ſepelierent.

2. Temerarium eſt hominem privatum, ne Doctorem quidem, ſed laureæ Doctrinalis candidatum, id impoſſibile ſcitu audaci, nè dicam procaci calamo pronunciare, quod duo Concilia Provincialia, fide divinâ credendum ſuis Eccleſijs propoſuerunt, & cujus oppoſitas enunciationes, vt hæreticas proſcripſerunt. Sic autem loquitur Concil. Senonenſe, jam à me citatum cap. 12. *Sacro approbante Concilio Provinciali, firmiter tenendum decernimus, culpâ per pœnitentiam abolitâ frequenter ſupereſſe temporalis pœnæ reatum eſt*, & paucis interjectis. *Nec item gehennæ ſubjaceat, quippe qui gratiæ ſit particeps, ac pœnæ temporalis tantum ſit debitor: fit vt primùm purgetur ex ijs quæ geſſit in corpore, ſalvus tandem aliquandò futurus: ſic tamen quaſi per ignem. Quibus, inquit, ſi quis pertinaciùs obſtiterit, hunc pœnis in hæreticos à iure ſtatutis declaramus, coercendum.*

Digitized by Google

Temerarium eſt tandem dicere nemini certum eſſe poſſe, quod Deus, ſive per revelationem ſpecialem, ſive etiam per donum, non dixerim Eccleſiæ ſuæ in Concilijs Gen. ſed cui libuerit homini ſingulari, Sp. Sancti, qui dicitur intellectus & revelationis ex ſcripturis, quaſi apertis mentis oculis poteſt dare intueri. Quis enim ſapiens Catholicus auſus fuerit denegare Concilio Generali auctoritatem hujus veritatis determinandæ? An non determinabilis veniebat, quando in Florentino propoſita eſt? ſed tàm ſapienter ſilet, quàm loquitur Eccleſia: ſicut Spiritui Sancto *Tutori eius*, vt loquitur Rupertus Abbas, placuerit. At ſi hoc priùs dictæ aſſertionis membrum temeritatem hominis iſtius manifeſtam facit, ſecundùm mentem eius hæreſeos labe infectam atteſtatur.

Theopist. Vide obſecro, Theodvle, nè te zelus Catholicæ veritatis tuendæ, vltrà juſtitiæ, aut fraternæ charitatis metas abripiat. Infamis hæreticæ pravitatis nota, nemini levibus conjecturis eſt inurenda, ſub gravioris peccati periculo ac reatu.

Theod. Nè tu ipſe quæſo, Theopiste, me imprudentis zeli, aut temerarij iudicij culpâ inſimules. Omnis hæreticus, quia vitandus, nè ſerpàt, vt cancer eius ſermo; ideò notandus & publicè arguendus; ſi poſt vnam aut alteram correptionem non ſe emendaverit. Tu ipſe ſententiæ meæ judex eſto. Hæreticam dico & pronuncio hanc propoſitionem, quæ his ipſis terminis jacet in illa appendice: *Quin imo, ſint ne vllæ omnino pœnæ ſenſus ante diem Domini, non eſt admodùm certum.* Directè enim adverſatur & opponitur huic Evangelicæ veritati, nuſquàm miſerandi

divitis

Digitized by Google

divitis in inferno aduſti, ore & voce terribili, tamen veridicâ pronunciatæ : *Pater Abraham meſerere mei ; & mitte Lazarum , vt intingat extremum digiti ſui in aquam , vt refrigeret linguam meam : quia crucior in hac flammâ ;* ὅτι ὀδυνῶμαι ἐν τῇ φλογὶ ταύτῃ , quæ eſt primus gradus veritatum credendarum , quæ in ſcripturis literaliter aſſeruntur. Vt ex Cancellario noſtro vidimus in pręcedenti noſtrâ congreſſione. Quis enim hos, ab igne infernali cruciatus ſitim, vſtionem, & cætera id genus , de ſolâ pœnâ damni, id eſt de ſolâ viſionis beatificæ privatione , poteſt rationabiliter interpretari ? An ab iſto igne, Phyſicè , an verò tantùm moraliter agente patiantur, non eſt huius loci, aut temporis definire. Legantur D. D. Thomas & Bonaventura duo tàm ſancta, quàm clariſſima noſtræ facultatis lumina, ſuper eâ Scholaſticâ controverſiâ : his nemo ſapientiùs , nemo ſolidiùs de hac, vt nec de cæteris Theologicis quæſtionibus, diſputavit. Sed ante quam vlteriùs in huius veritatis Catholicæ probationem progrediamur , vnum te , aut ſcire, aut recordari oportet ex Auguſtino, & alijs graviſſimis Doctoribus ; animum videlicet , habere ſenſus, & delectationes ſuas , non quidem carnis , ſed ſpiritus. *Eſt quædam voluptas cordis , cui panis dulcis eſt ille cæleſtis. An verò habent corporis ſenſus voluptates ſuas , & animus deſeritur à voluptatibus ſuis* , inquit , *ille tract. 16 in Ioan.* Si igitur animo dulcis eſt panis cœleſtis; certè & ipſi acerbus, & amarus eſt panis mendacij. Si ad tactum ſponſi , quando miſit digitum ſuum per foramen , vt habetur , Cant. c. 5. venter ſponſæ (ſunt omnes animæ eius vitales facultates vel ipſa animæ ſubſtantia intima vt docet Rupertus) intremuit ;

an non horeſcent & frendebunt dentibus ſuis, tam reproborum quàm purgandorum animæ, cum hos ardentes rogos, ſive Tartari, ſive Purgatorij ingredientur?

THEOP. Admitto ſuppoſitum: at in citatâ à te divitis parabolâ, de infernalibus incendijs non de purgantibus ſermo eſt. Quid ergo ad rem noſtram?

THEODVL. non advertiſti, Theopiſte, iſtummet Bacalaureum in ſua hac enuntiatione, tranſire à pœnis purgantibus, qualeſcumque illæ ſint, ſive ignis æſtuantis, aut uſtulantis, ſive caliginis & mœroris, ad omnes omninò pœnas: non tantùm vt ita dixerim, ſenſuales corporis: ſed etiam animi ſenſitivas: coniunctio enim illa, *quinimò*, aſſertiva eſt præcedentium, & ſubſequentium confirmativa, quæ copulata pariter, & vniverſaliter, in dubium revocat: voces autem illæ, *vllæ omninò*, nihil non dicunt, & omnem omninò pœnam ſenſitivam, à ſpiritibus, ſaltem humanis poſt obitum, & ante diem domini eliminant: quod quàm falſum ſit patet, tàm ex hoc loco evidentiſſimè, quàm ex multis alijs vtriuſque Fœderis.

THEOPIST. Ea mihi quæſo, proferas in medium: præter hunc enim, non alium animadverti. Nam quæ de Core, Datan, Abiron, & Eorum familijs, quos dehiſcens terra, vivos ſepelivit in inferno, referuntur, cap. 16. num. non ad rem mihi pertinere videntur.

THEOD. Quorſùm non pertinerent?

THEOPIST. 1 Quia hic de igne nulla mentio injicitur: ſic enim duntaxàt legimus verſ. 31 & ſequentibus: *Confeſtim vt ceſſavit loqui* Moyſes, *dirupta eſt terra ſub pedibus eorum*,

Digitized by Google

& aperiens os ſuum devoravit illos cum tabernaculis ſuis, & univerſa ſubſtantia eorum. Deſcenderuntque vivi in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis. 2. Quia etſi daretur, quod ab igne, aut ab alio agente corporeo, etiam ſpiritus eorum in inferno cruciarentur hi rebelles, nihil contrà Theſim indè concludi poteſt, quæ non negat ſpiritus poſt diem Domini, id eſt poſt reſurrectionem generalem, pœnâ ſenſûs eſſe torquendos, mediantibus corporibus quibus denuò nexu indiſſolubili copulabuntur. Sicut enim hic ſpiritus noſter, nihil boni, aut mali facit: nihil meriti, aut demeriti ſibi acquirit, niſi per corpus: ita ſanè, nec videtur aliquâ pœnâ ſenſibili puniendus, aut voluptate præmiandus poſt mortem, niſi per corpus.

Theod. Ad primum reſpondeo. Scripturam nuſquàm meliùs, ſecuriùs, aut veriùs à nobis poſſe intelligi, quàm cùm per ipſammet illam intelligimus, aut interpretamur. *Nullus enim melior verbi, aut typi ſui interpres erit quàm ipſe qui inſpiravit Prophetas ait* Hieronym. in Ionam, *& futuræ veritatis in ſervis ſuis lineas ante ſignavit* Atqui Deut. cap. 32. Idem Moyſes, ad cujus, vocem terra apperta devoravit hos rebelles, & murmuratores; ſic Deum loquentem introducit: *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſſima*: & de eâdem plagâ Pſalm. 105. verſ. 17. *Aperta eſt terra, & deglutivit Datan, & operuit ſuper Congregationem Abyron, & exarcit ignis in Synagogâ eorum, & flamma combuſſit peccatores.*

Theop. Non mihi videris, Theodule, (ſalvâ tuâ pace dixerim) ſenſum hujus Scripturæ aſſequutus. Duo enim Regius Pſaltes dicit 1. apertam terram Datan de-

glutiiſſe cum ſuâ Cógregatione: alterum exarſiſſe ignem, & combuſſiſſe peccatores, quæ duo referuntur ad duas diſtinctas punitiones, quæ citato cap. 16 Deuteronimij, diverſis perſonis, & peccatoribus, ob diverſa peccata, & duobus diverſis diebus inflictæ, narrantur. 1. adverſùs Core, Datan, & Abyron, & ſuper Congregationem eorum, nullâ factâ menſione ignis, ob rebellionem contrà Moyſis Principatum, & Aaronis Sacerdotium. Altera quæ ſequenti die contigit, cum murmuraret omnis populus, neutiquam ſapientior factus, contra eoſdem Moyſen, & Aaronem, quaſi interfeciſſent populum Domini: quà clade, ab igne conſumpti ſunt numero quatuordecim millia hominum & ſeptingenti: de his enim tantùm videtur dictũ, quod ex Pſal.105. citaſti: *& exarſit ignis in Sinagoga eorum:* & quod ex Deuteron. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad Inferni noviſſima.*

Theod. Nec tu ipſe ſatis obſervaſti, non duas tantùm: ſed tres horum rebellium, & obmurmurantium fuiſſe differentias, ſimul & inflictas plagas. Prima fuit illa Core, Datan, & Abyron, cum ſuis familijs, qui vivi abſorpti à terrâ, corpore & animo deſcenderunt in Infernum. Altera ducentorum & quinquagintà virorum alienigenarum, qui etſi non eſſent de ſanguine Aaron, offerebant tamen incenſum: hos ignis egreſſus à Domino interfecit. Tertia quatuordecim millium & ſeptingentorum hominum, quos die poſtero etiam flamma combuſſit. De his enim duabus vltimis ſpeciebus, aut differentijs dictum omnino videtur: *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad Inferni noviſſima.* Vbi duo advertas velim. 1. Eundem ignem,

Digitized by Google

qui accenſus in furore Domini, ab eo, id eſt à Tabernaculo, in quo incenſum offerebant, egreſſus eſt, eoſdem rebelles fuiſſe perſecutum vſque ad Inferni noviſſima. Attende deindè ad vim iſtius verbi: *& ardebit*, quo non modò datur intelligi ignem iſtum, qui à Deo egreſſus eſt, inſecutum fuiſſe rebelles vſque in profundum Inferni, in quem ſunt demerſi; ſed etiam arſurum vſque ad noviſſima ejuſdem Inferni: quæ ſanè noviſſima, ipſa eſt æterna iſtius ignis duratio. Ex quo inſuper hæc duo ſequuntur 1. Eundem ſpecie, vel etiàm numero ignem, qui miraculoſè egreſſus eſt à Sanctuario, hos rebelles etiamnùm torquere in Inferno. 2. in æternum duraturum.

Alterum quod tibi imprimis advertendum notavi, eſt, horum obmurmurantium animas duntaxat, deſcendiſſe in Infernum. Cujus rei fidem locupletiſſimam facit, ipſummet verbum divinum, cap. 18. Sapientiæ, vbi ſic loquitur: *Cum jam acervatim cecidiſſent ſuper alterutrum mortui*; videlicet illi quatuordecìm millia, *interſtitit* (Aaron) *& amputavit impetum, & diviſit illam quæ ad vivos ducebat viam. In veſte enim podêrus, quam habebat, &c.* Quæ enim corpora acervatim ceciderunt ſuper alterutrum, quorum in medio ſtetit Summus Sacerdos, & diviſit inter mortuos & viventes, hæc non deſcenderunt in infernum, ſed eorum animæ duntaxat. Habes igitùr ex his omnibus. 1. Verum ignem, & à Deo egreſſum haberi in Inferno. 2. Eo, non modo corpora, ſed etiam animas damnatorum torqueri & cruciari.

THEOP Clara ſunt & aperta iſta omnia, fateorque me hodie pleniùs de hac veritate inſtructum: ſed cum te non cogitantem in hunc locum impulerim, expone, obſecro,

Digitized by Google

ca; quæ; priùs in mente habebas.

Theod. Primus mihi occurrerat verſus 27. cap. 10. Ep. Pauli ad Hebr. vbi poſtquàm pręmiſit verſu pręcedenti, quod voluntariè peccantibus, poſt acceptam veritatis notitiam, non relinquitur pro peccatis hoſtia, ſubjicit: *Terribilis autem quædam expectatio judicij, & ignis æmulatio quæ conſumptura eſt adverſarios.* Vbi primùm cum Hieron. in cap. 2. Ioelis; *per diem Domini intellige diem judicij, ſivè diem exitus vniuſcuiuſque de corpore:* quod enim, ait, *in die iudicij futurum eſt omnibus, hoc in ſingulis die mortis impletur.* 2. Advertas velim, hoc loco Apoſtolum, non tàm de extremo vniverſali & publico judicio, quàm de ſingulari, & privato loqui. Perſuadent primùm quod cap. precedenti verſ. 27. dixerat: *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori: poſt hoc autem Iudicium.* Apoſtolum autem hic, non de iudicio extremo & vniverſali, ſed de privato, quod ſtatim poſt mortem futurum eſt loqui, legenti, & intelligenti per ſe patet 2. ex textu. Secundò, ex ipſo ſenſu literæ: nam de facto, quamdiù vivimus, relinquitur etiam volontariè peccantibus pro peccato hoſtia: at voluntariè in peccato decedentibus, jam nulla relinquitur hoſtiä: ſed terribilis expectatio iudicij, & ignis æmulatio, cùm infœlix anima ante hunc terribilem ſupremum Iudicem, de quo dicitur Sap. cap. 6. horrende & citò apparebit vobis, & interrogabit opera veſtra, in momento & in ictu oculi ſiſtitur, in altero judicatur, & in tertio ab igne zelote aut æmulatore corripitur, in æternum concremanda. Nota tertiò per nomen Græcum ὑπεναντίους ſignificari, non publicum hoſtem, ſed ocultum adverſarium: quia hoc iudicium, non publicum,

ſed privatum eſt. Tandèm adverte hîc videri Apoſtolum alludere ad locum à me ſuperiùs citatum ex Deuteron. *ignis accenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad Inferni noviſſima.* Quid eſt enim aliud, phraſi Hebreicâ, ignis ęmulatio, quàm zelus igneſcens, qui conſumpturus eſt adverſarios, ſtatim ac illo æterno damnationis Anathemate icti fuerint? vndè Pſalm. 49. verſ. 3. Deus manifeſtè veniet: Deus noſter, & non ſilebit; ignis in conſpectu exardeſcet, & in circuitu ejus tempeſtas valida.

Theopistvs. Sed quare dicit, *quæ conſumptura eſt adverſarios!* Nam hoc pronomen relativũ, *quæ*, Græcè participio, μέλλοντος exprimitur, & refertur ad genitivum πυρὸς ignis. Quomodo iſte ignis conſumpturus eſt adverſarios, ſi de anima, & non de corpore accipiatur? Nam & ſubſtantia ejus immortalis, & peccata vt loquitur Syneſius Ep. 44. δυσσωπειά τι καὶ ἀναπόνιπτα, pertinacia & ineluibilia conſummari etiam igne Tartareo nequaquàm poſſunt. Reſtabit igitur intelligi debere hanc conſumptionem de peccatis venialibus, & reliquijs graviorum criminum, quas ignis Purgatorius devorat & conſumit. Voluntas enim propria, & ſibi ipſi amore inordinato, ſed levi in materia, adhæreſcens, ſola Deo in nobis adverſatur: & illa eſt, quæ hoc igne, dum purgatur, abſumitur. Hic eſt Baptiſmus de quo Math. 3. Ioannes Bap. ait *Ipſe vos Baptiſabit in Spiritu Sancto, & igni*: quem locum gloſſ. interlin. & Sanctus Remigius de igne Purgatorio interpretati ſunt. Illa, ad ſubſequentia Baptiſtæ verba, *Paleas autem comburet igne inextinguibili*, ſic loquitur: *Non extinguetur, nec extinguet: ſed æternaliter puniet*, (ſcilicet ignis Tartareus:) *Alius ille eſt, de quo in Pſalm. igne nos*

Digitized by Google

examinaſti, & eduxiſti nos in refrigeriũ. Remigius autem hunc illi opponẽs dicit, *Ignis Purgatorij ad tempus accenditur, & extinguitur.* Duò igitur Ioan. Baptiſta hìc Iudæis prædicaſſe mihi videtur: 1 Peccata, & Sacramentis, & igne Purgatorio mundari & ablui: Sacramentis, in quibus virtus Sp. Sancti operatur: vnde dixit, *ipſe vos Baptiſabit in Spiritu Sancto.* Igne autem, dum ſubjicit, *& igni*: in cujus veritatis typicum argumentum, Deus Numer. cap. 31. verſ. 21. & 22. Præceperat omnem purgationem fieri, *aut aquâ aut igne.* Hoc eſt, inquit, præceptum Legis, &c. Aurum, & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & ſtannum, & omne quod poteſt tranſire per flammas, igne purgabitur: quod autem ignem non poteſt ſuſtinere, aquâ expiationis ſanctificabitur. Quibus alludere videtur Apoſtolus cap. 3. 1. ad Cor. cùm ſic loquitur; ſi quis ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, quod eſt Chriſtus, aurum, argentum, &c. & vnius cujuſque opus, quale ſit opus, ignis probabit. Alterum aliũ eſſe ignem purgantem, &, vt cum Evangeliſtâ loquar, Baptiſantem animas: alium verò cruciantem: & hunc, quo paleæ comburuntur, cum dicat inextinguibilem, priorique opponat, Eleemoſynis, alijſque pietatis operibus poſſe extingui; ſatis apertè demonſtrat ignem, Purgatorium, non æternum, ſed tranſitorium eſſe.

THEOD. Doces me hodiè ex citato Remigio, veteres Eccleſiæ Patres has voces, *Ignis Purgatorius*, vſurpaſſe: neque enim iſtud ante hunc diem audieram.

THEOP. Eâ vſus eſt longè ante Remigium Auguſtinus l. 2. cap. 20. in Geneſim, contra Manichæos diſputans, vbi ſic loquitur: *Qui coluerit agrum ſuum interiùs, & ad panem*

ſuum

Digitized by Google

ſuum, quamvis cum labore, pervenerit, poteſt vſque ad finem vitæ huius, hunc laborem pati. Sed qui forte agrum non coluerit, & ſpinis eum opprimi permiſerit, habet in hâc vitâ maledictionem terræ ſuæ in operibus ſuis: & poſt hanc vitam, habebit vel ignem Purgatorium, vel pœnam æternam. Quid amabo, clarius?

THEOP. Nihil profectò. Sed, ni fallor, à Theſi ad hypoteſim, vel à genere ad ſpeciem deſcendiſti. Non enim hic erat quæſtio, an forte daretur ignis Purgatorius: nam & hoc ipſe faſſus es, non eſſe expreſsè definitum in Florentino: ſed tantum eſſe Purgatorij locum, & animas ibidem, vel igne, vel caligine, aut mœrore cruciatos, poſſe juvari Suffragijs vivorũ. At inquirimus, ſint ne ullæ omnino pœnæ ſenſus, quibus vel homines, vel dæmones, aut in Inferno, aut in Purgatorio torqueantur: quod in dubium vocare videtur poſitio illa Theſis, *Quia imo ſint ne ullæ omninò pœnæ ſenſus ante diem Domini, non eſt admodùm certum.*

THEOD. Ex ore tuo te judico, mi THEOPISTE: concedis definitum in Florentino, vt defacto definitum eſt, animas in Purgatorio detentas, vel igne, vel mœrore, aut caligine torqueri: ergò definitum eaſdem animas affici pœnâ ſenſus ante diem judicij. Nam ſive ignis, ſive caligo, ſive mœror, ſunt pœnæ ab agente externo inflictæ. Deindè cum abundè probaverimus hunc Apoſtoli locum, ex Epiſt. ad Heb. à nobis citatum, vbi docet nullam relinqui pro peccato hoſtiam voluntariè peccantibus, ſed terribilem expectationem iudicij, & ignis æmulationem, de iudicio ſingulari, quod fit in articulo mortis, & quo alij ad præmium æternæ beatitudinis deſtinantur, alij ad Tartarum alij ad

Purgatorium damnantur;ſatis apertè conſtat, & damnatos in Inferno, & cruciatos in Purgatorio, ab illo igne Zelotypo ſtatim & ſine mora, poſt hoc iudicium corripi & devorari. Vnde idem Apoſtolus ibidem hoc Epiphonemate concludit: *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis: ſcimus enim qui dixit; mihi vindicta & ego retribuam.* Et iterùm quia iudicabit Dn̄s populum ſuum. Quis igitur eos ſolâ privatione viſionis beatificæ puniri, & non inſuper ab agente externo diriſſimè cruciari, audebit aſſerere? quod & Apoſt. duo, Petr. 2. Can. c. 2. & Iudas verbis & ſententijs graviſſimus exponunt, digni ſunt qui audiantur. Prim⁹ ſic loquitur: *Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus Inferni detractos in Tartarum, tradidit cruciandos* hos rudentes Iudas Apoſtolus in ſuâ Canonicâ vincula æterna nominat. *Angelos,* inquit, *qui non ſervaverunt ſuum principatum: ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in iudicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſervavit.* Qualem, amabo, vim ſuſtinent ab his duriſſimis vinculis? qualem̨ ab igne ſulphureo? an ſic cruciandi in æternum, ſub his rudentibus, & in hac caligine, in hoc loco vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat, abſque pœnâ ſenſibili, non quidem ſenſu carnis, ſed ſpiritus, vt ex Aug. diximus, reſervantur? Quod enim ibi ſit ignis caliginoſus, fætidus, & ſulphureus; non ſolùm habemus ex Evangelio, & Apocalypſi, ſed etiam ex hoc Iacobi loco, vbi ſic loquitur: *Sicut Sodoma & Gomorrha, & finitimæ civitates, ſimili modo exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram, factæ ſunt exemplum ignis æterni pœnam ſuſtinentes.* Iſtæ civitates nefariæ ob peccata, tàm ſuperbiæ, quæ vocat hîc Apoſtolus, *exfornicationem ſpiritualem*, ſimilem

Digitized by Google

peccato dæmoniorũ, quàm impudicitiæ Sodomiticæ, jam ab eo tempore quo exfornicatæ ſunt, pænam ignis æterni ſuſtinent. Malè ergò, nè dicam hæreticè; & ſi non hæretico, ſaltèm imprudenti animo, poſita eſt hæc Theſis.

Theop Hæreticamne dixeris ante Eccleſiæ definitionẽ?

Theod. Non eſt neceſſaria, vbi veritas per ſe patet ex terminis Sacrorum Bibliorum. At nec in hâc materiâ deſideratur: in hanc enim vniverſa Græcorum, & Latinorum Eccleſia conſenſit in Florentino, cujus hæc ſunt ipſiſſima verba loco jam à me citato: *Animæ eorum, qui ſine pænitudine mortem obierunt, in Inferno, vnà cum Iudâ, pænas æternas luere profitemur.* hæc de ſecundo iſtius heterodoxæ poſitionis membro: ad tertium veniamus quod breviter expedio.

Theopist. Quid in eo dignum caſtigatione reperis? animum adhibeas quæſo ad verba quibus concipitur, & ni fallor, mutabis ſententiam.

Theod. Diligenter inſpexi, & indè potiùs callidam hæreticæ pravitatis mentem agnovi, quæ vt ſtatim initio hujus diſſertationis ex Tertul. animadverti, *ſemper tortuosè, & nunquàm ſincerè ambulat.* Non auſa eſt palàm profiteri Purgatorij pœnas ante vltimam mundi conflagrationem, finem non habituras: ſed id non poſſe evinci ex locis Machab. & Pauli, quæ fortiora putavit omnibus alijs ex quibus id poſſit demonſtrari. Quidquid ſit de eius mente, cuius iudicium ſupremo omnium iudici reſervatur: fide Sanctum eſt ex præcitato à nobis Florentino: *Illas etiam animas, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ, ſunt purgatæ, in Cælum mox recipi, &*

intueri clarè ipſum Deum Trinum & vnum ſicuti eſt, pro meritorum diverſitate. Satis autem ſuperque hoc fidei dogma ex vtriſque Pauli & Machab. locis poſſe comprobari & Theologicè demonſtrari, vel ex ipſorum verborum tenore, vel ex Sanctorum Conciliorum & Patrum traditione Conteſtor. Ac 1. ex Machab. Dum enim Iudæ Machabæi pium erga defunctos milites opus hâc ſententiâ approbatur: *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitato pro defunctis exorare, vt à peccatis ſolvantur;* quid aliud niſi dogma iſtud ſancitur? ad quid vtilis, aut ſalubris oratio quæ nuſquàm eſt ſuum effectum conſecutura? aut quem effectum conſecutura eſt, ſi ante vltimam mundi conflagrationem nullum finem habituræ ſint illorum pœnæ? Tùm enim videlicet, in illâ vltimâ ſæculorum conſummatione, omnia omnium fidelium, & peccata venialia, & mortalium reliquiæ, abſque vllo precum aut piorum operum ſuffragio ſolventur. Superfluum igitùr & vanum eſſet orare pro mortuis. Quod verò ſpectat ad Apoſtoli locum cum dicit; ſi cuius opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet: ſi cujus opus arſerit detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit: ſic tamen quaſi per ignem. Satis indicat ſupremum illum iudicem rationem habere delictorum in pœnarum inflictione. Quod etiam ſanè poſtulat æquiſſimæ illius Iuſtitiæ trutina. Nam verbum Græcum ζημιωθήσεται quod noſter interpres vertit, *damnum* ſignificat propriè *mulctam* patietur. At mulcta infligitur pro ratione delicti, aut injuriæ: nec tanta pro oboli furto poteſt ſatisfactiò aut mulcta imponi, quanta pro aſſis, aut majoris Summæ. At ſi hæ pœnæ ante mundi

Digitized by Google

conflagrationem, non ſint habituræ finem; quænam aut delictorum, aut pœnarum ratio habebitur? Si potiſſimùm, *non ſit admodùm certum vllam omnino dari pœnam ſenſus.* Nam cum privationes vt præmiſimus, non ſuſcipiant magis & minus, & omnes cæci aut privati viſu, aut alio ſenſu, ſint omnes æqualiter privati; ſi ſola privatio beatitudinis in pænam delictorum imponitur omnibus; nonne omnes æquali pœnâ plectentur? & ſi viſio vſque in diem vltimum differatur; ad quid, vt diximus orationes & ſuffragia pro mortuis. Longe ergò Sapientius Pacianus paræneſi ad pœnit. docet, *Primùm de modo, & diſcrimine peccatorum agendum eſſe; ne quis exiſtimet Deum omne genus hominum indiſcretâ pœnitendi lege velle conſtringere.* Nec facile modus inveniri poſſet, quo Deus qui eſt in omnibus, & erga omnes iuſtiſſimus, non iniuſtus videretur; ſi non poſt hanc vitam per temporales, & non æternas pœnas omniũ cõpenſatio expectaretur, vt loquitur dictum Concilium.

Cæterùm per te velim admonitum, dictum Bacalaureum ſi noſti eum, doctrinam in Theſi ſuâ poſitam, in impio Molinæi adulterinæ fidei Scuto, penè ad verbum deſcriptam reperiri, pag. 327. vbi ſic loquitur, de fideli pro mortuis orante: *Ne peut il pas s'affliger, & ietter des larmes, afin d'obtenir de Dieu que le defunt reſuſcite à ſalut, qui eſt la fin de la priere pour les morts, dont il eſt parlé au 12. chap. du 2 Livre des Machabées:* & en la pag. 119 & 20, *Ie ne treuve les Peres accordans en autre choſe, qu'en l'opinion que ſi toſt que les morts ſeront reſuſcitez, ils ſeront flamboiez & bruſlés par le feu du iour du Iugement, lequel ils appellent vn Bapteſme de feu, & le glaive flamboyant mis à la Porte du Paradis, duquel*

Digitized by Google

ſeu ils n'exemptent perſonne , pas mêms les Apoſtres , ny la Vierge Marie. Nonne indè videtur deſumpſiſſe poſitionis ſuæ doctrinam , cum ait : ante extremam mundi conflagrationem finem habituras non evincunt Machab. & Pauli loca. Inde enim euidenti ratione deducitur omnes omnino , his vltimis flammis ; ſanctos etiam , quibus aliquid , vel etiam minimum , in die exitus reſtat , aut purgandum, aut ſolvendũ, eſſe abſolvendos. *Væ* etenim *etiam laudabili hominum vitæ , ſi remotâ miſericordiâ , diſcutias eam:* Ait Aug. Conf. l 9 cap. 13 Loquens de Matre ſuâ Monicâ , quamquam vt ibi teſtatur in Chriſto vivificata , etïam nondùm à carne reſoluta ſic vixerat , vt laudetur nomen Dei in fide moribuſque eius : nec tamen audebat dicere , ex quo per Baptiſmum regenerata fuerat, nullum verbum exiiſſe ab ore eius contra præceptum Dei. Et dictum ait à veritate filio tuo : ſi quis dixerit fratri ſuo , fatue , reus erit gehennæ ignis ; vel certè purgantis , vel tandem in æternum punientis , pro gravitate , aut levitate injuriæ.

Theopist. His ſuperaddendum nihil video , mihique abundantiſſimè ſatisfactum eſt.

Theodvl. vnum reſtat, mi Theopiſte , Apoſtolicum verbum ex Canon. Iudæ à te , & à me omnibus fidei ac doctrinæ Catholicæ Apoſtolicæ & Romanæ profeſſoribus inſinuandum. *Vos autem chariſſimi ſuperædificantes voſmetipſos ſanctiſſimæ veſtræ fidei , in Spiritu Sancto orantes, voſmetipſos in dilectione ſervate, expectantes miſericordiam Domini noſtri Ieſu Chriſti in vitam æternam : & hos quidem arguite iudicatos* (quos videlicet jam Eccleſia damnavit vt reſi-

Digitized by Google

piſcant) *illos verò ſervate de igne rapientes*, veſtris videlicet, non modo orationibus, aut alijs pijs operibus, ſed & perſuaſionibus, colloquijs & exemplis, omnes ad hanc ſpiritualem Eleemoſynam fidelibus defunctis exhibendam adhortantes; *Eſurit namque Daniel*, vt ſcitè admodum docet pjiſſimus noſter Cancellarius Tract. 9. in Magnif. partit. 5. *In lacu leonum, cœtus ſcilicet fidelium, in Purgatorij lacu merſorum. Fer prandium Meſſorum laborantium in Eccleſiâ viatorum: refocillabit eos cibus iſte tuus, qui per te datus eſt, & oblatus in altaris alveolo, ad coetum deſiderantium, nunc in lacu degentium: portabitur in momento, & hoc in cincinno vno capitis tui, qui cincinnus eſt vnica, mentis ad eorum refectionem intentio.*

Ad majorem Dei gloriam, Eccleſiæ Triumphantis plenitudinem & conſummationem, Militantis ædificationem, & patientis ſolatium.

AMEN.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google